



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sacri sacerdotij defensio co[n]tra Lutheru[m]

Fisher, John

Coloniae, 1525

VD16 F 1240

XVIII Clemens deniq[ue] Iacobo Hierosolymoru[m] ep[iscop]o cotidiana  
praedicationis qua[m] Petrus exercuit quaeda[m] breuiter memorat ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30878**

De sacra sacerdotij defensione cōtra Lutherū VI

manant: neq; enim sancta sanctorū simpliciter omnibus sunt in-  
 accessa, uerum his appropinquat magis pontificū sacra distin-  
 ctio, deinde sacerdotum ordo, quos deinceps & ministrorum  
 sequitur gradus. Hæc Dionysius.

Ordinum  
 distinctio

¶ Philo quinetiā qui & Petro familiaris Romæ fuisse tra-  
 ditur, in libro cui titulū fecit de uita theoretica supplicum, de  
 christianis loquens qui partes Aegypti circa Alexandriā in-  
 colebant, mentionē facit sacrorū ministrorū atq; sacerdotū &  
 episcopi, docens quomodo sacerdotes ac ministri exhibeāt of-  
 ficia sua, uel quæ sit super omnia episcopalis apicis sedes. Hæc  
 apud Eusebium libro. 2. cap. 17.

XVII

¶ Clemens deniq; Iacobo Hierosolymorū epō cotidianæ  
 prædicationis quā Petrus exercuit quædā breuiter memorat,  
 inter quæ, quid epī facturi sint etiā docuisse recenset, nimirū  
 epōs sacerdotes suos ac cūctos reliquos ecclesiæ ministros atq;  
 omnē plebē sibi cōmissam uerba & mādāta diuina instruere,  
 & amare. Hosq; oēs eorū epōs tota animi uirtute diligere ut  
 oculos suos, quia oculi sunt illorū. Eorū præceptis in omnib<sup>9</sup>  
 obedire, etiā si ipsi aliter (quod absit) agāt, memores scilicet il-  
 lius dominici præcepti, quæ dicunt facite, quæ autē faciunt,  
 facere nolite. Hæc ille. Ex tot patrū tam concordī sententia  
 certissime colligitur, haudquaquē sacerdotiū heri aut nudiuster-  
 tius, sed ab ipsis ecclīæ primis unguiculis institutū fuisse. Qua-  
 re quū Lutherus nullum orthodoxum afferre possit, qui libro  
 quouis ædito contrariū testetur, sed nec scripturæ syllabā ali-  
 quam producere queat illorū patrū assertionibus reclamātem  
 quid prohibebit quo minus ipsi contra Lutherū de ueritate sa-  
 cerdotij iustissime præscribamus?

XVIII

Episcopi do-  
 cere debent

Mat. 23.  
 Corrolarium.

¶ Nihil utiq; Lutherus h3 q; hæresi suæ faueat, nisi q; nusq;  
 hac nomēclatura nouū instrumētū utat, hoc est q; nusq; tribu  
 at hoc uocabulū illis, quos hodie uocam<sup>9</sup> sacerdotes. At istū  
 parū aut nihil mouebit eū, qui rationē diligenter expendit,  
 cur hanc appellationē apostoli uitauerint, nimirū quia uetus  
 adhuc currebat sacerdotium, & in templo cotidie sacrificaba  
 tur. Quamobrem ne confunderent hæc inuicem sacerdotia,  
 placuit interim pro sacerdotib<sup>9</sup> nouis, alijs uti nūcupationib<sup>9</sup>

XIX

Apst uita-  
 bat sacerdotis uo-  
 cabulum  
 Varia sacere-  
 dotum appel-  
 latio.